

SA

Zu der  
am Schlusse des Schuljahres 1850/51  
den 13. und 14. August abzuhaltenden

# Öffentlichen Prüfung

der Schüler des königl. kath. Gymnasiums in Gleiwitz

und zu der

auf den 15. August festgesetzten

## Schulfeierlichkeit

ladet ergebenst ein

**Dr. Joseph Rabath,**  
Director und Professor.

---

### I n h a l t.

1. Eine lateinische Abhandlung: Artis gymnicae quæ fuerit origo atque indoles apud Graecos, quaeritur, von dem Gymnasiallehrer Polke.
2. Schulnachrichten, von dem Director Dr. Rabath.

---

**Gleiwitz,**  
gedruckt bei Gustav Neumann.

—  
**1851.**

SIA

Artis gymnicae  
quae fuerit origo atque indoles apud Graecos, quaeritur.

Ex quo tempore apud nostrum gymnasium discipulorum exercitationes, quas vocant gymnicas, moderandi munere fungor, id quoque enitendum mihi duxi, ut, quae et quales fuerint istae exercitationes apud veteres, et ipse accuratius perspicerem et discipulis, sicubi occasio facta esset, obiter quidem exponerem. Quare quum peculiaris hac de re commentatio, quod equidem sciam, non existat, quae in legendis auctoribus ad rem propositam pertinentia et hic illic dispersa inveneram, ea omnia adnotatam, ut, si opportuno tempore fieri posset, diffusa in unum colligerem et ad discipulos potissimum instruendos conscriberem. Jam quum hoc anno mihi delatum sit munus scholasticae commentationis scribendae, hac opportunitate usus ea, quae alias obiter tantum attingi et primulis quasi lineis adumbravi, paulo fusius exponere constitui. Quae si probe perpenduntur, neque in animo mihi fuisse, neque propter temporis angustias, quibus premebar, esse potuisse, ut doctam et ab omni parte perfectam dissertationem exhiberem, quis est, qui non intelligat?

Res gymnica, ut omnibus notum est, nomen duxit a graecis vocibus „γυμνάσιον, γυμνάσιον“, quod nudato corpore certari solitum erat, eaque ars gymnica et appellari potest et a Graecis ipsis appellata est ex tempore illo, quo gymnicae exercitationes non ex cujusvis arbitrio, sed ex certis regulis fiebant earumque summa in eo fere posita erat, ut corpora fingerentur viribus auctis haud aliam ob causam atque quod haec ipsa res pertinere videbatur ad assequendam totius humanae naturae perfectionem. Quare nomen artis hullo tempore plane congruit cum disciplina gymnica, quae fuit apud Spartanos, qui eam non aestimabant nisi propter utilitatem, quam olim afferret rei militaris usui atque peritiae.

Öffentliches Gymnasium  
in Prag



Öffentliches Gymnasium  
in Prag

Dr. Joseph Habart,  
Director des Gymnasiums

Prag

1. Die hiesige Bibliothek: Aus dem Besitze des hiesigen öffentlichen Gymnasiums  
2. Beschrieben von dem Director des Gymnasiums

Öffentliches Gymnasium  
in Prag

Prag

Jam primam quidem magistram artis gymnicae, si licet ita dicere rudes illas nullisque regulis moderatas corporis exercitationes, quas reperimus usitatas apud gentes antiquissimas, naturam ipsam habeamus necesse est, si quidem quum omnes infantes tum gentes immanissimas exercere corporis vires et augere videmus: id quod prorsus ex rerum natura fieri non negabimus, quum antiquissimae aetatis homines naturali quadam necessitate coacti corporis viribus prius, quam animi facultatibus augendis studerent: quippe illis maxime quum victum sibi necessarium parare, tum se suaque ab hostium impetu defendere valebant.

Propterea plurimas antiquae aetatis gentes easque maxime rudes currendi, saltandi, nandi, jaculandi et sagittandi peritos fuisse accepimus. Namque ut ex multis pauca proferam exempla, jam ex libris sacris veteris testamenti patet, Nimrodum validissimum venatorem et Davidum mira jaculandi peritia fuisse, et Herodotus I, 136, Persas tria tantum pueros suos curavisse edocendos „*ἰππεύειν, τοξείειν καὶ ἀληθίζεσθαι*“ memoriae prodidit. Deinde si quam fidem habemus Apollodori narrationibus, ex ejusdem biblioth. lib. IV, c. 9, 20, discimus gentem Bebryciam, quae Argonauticae expeditionis et Trojanae temporibus ad Pontum Euxinum habitasse dicitur, pugilatu celeberrimam fuisse. cf. Hygin. f. 17, Virg. Aen. V, 372. De Arabibus Ituraeis arte sagittandi claris mentionem faciunt Virgilius Georg. II, 449, Eutropius VI, 14, Lucanus VII, 230.

At vero nullum antiqui temporis populum in gymnicae exercitationes Graecis majorem operam ac studium impendisse constat. Namque Homeri aetate ludos gymnicos jam existisse summoque cum studio habitos fuisse multis ipsius carminum locis docemur: sic in II. II, 773 (in catalogo) legimus

— „*λαοὶ δὲ παρὰ ῥηγῆϊν θαλάσσης,  
δίσκοισιν ἔρποντο καὶ αἰγανέρον ἰέντες  
τόξοισιν θ'.*“ —

Copiosius in Od. VIII, 100 sqq. ejusmodi agones apud Phaeaces describuntur: cursus, pugilatus vel cestus, saltus, jactus disci et luctatio; et in II. XXIII, 262 usque ad finem certamina Achivorum in honorem Patrocli defuncti ab Achille instituta victorumque praemia ac nomina cecinit poeta. Contendunt autem principes equis, pugilatu, luctatione, cursu, armis, disco, sagittis et jaculis. Praeterea meminere sagittandi certamen, (Od. XXI,) quo proci Penelopes ab Ulyse interimuntur; ejusdem Ulyssis luctandi peritia laudatur in Od. IV, 342 sqq. Nec minus Hesiodus, quae et qualis sua aetate fuerit res gymnastica, docet in Scut. Her. 285 sqq.

Quodsi respicimus, quam late jam pateant certamina ista ab Homero descripta,

haud erit, quod dubitemus, quin illa jam diu ante poetae tempora in usu fuerint, neque fidem prorsus abjudicabimus poetis et mythographis, singulos quidem agones aeo, quod, vocant, heroico jam assignantibus: siquidem Theocritus XXII, 107; XXIV, 113, Apollo-nius Rhodius II, 67, Staius Theb. VI, 737, Heraclum ejusque magistrum Harpalicum, Polydeucen et Tydeum praecellosos praedicant pugiles. Pausanias V. 8, 1, eundem Heraclum in ludis Olympiis, quos eum ajunt primum instituisse, luctatione et pancratio vicisse nar-rat, Theseum vero (I, 39, 3,) luctandi certamen, quum antea nihil nisi corporis magni-tudo ac robor valuerit, jam certis quibusdam regulis circumscriptis contendit. Nec minus disco fama longe ultra terminos aetatis Homericae retulit: Apollo enim disco cer-tans Hyacinthum suum <sup>1)</sup> et Theseus in exsequiis Teutaniae Acrisium suum ipsius socerum necat. <sup>2)</sup> Pindarus etiam Eniceum <sup>3)</sup> et Castorem <sup>4)</sup> *δισκοβόλους* nominat celeberrimos.

Jam primum quidem ista certamina in exsequiis clarorum heroum, utpote qui iis non melius et aptius honorari posse videbantur, fuisse celebrata est verisimillimum; nam praeter illos, <sup>5)</sup> quos modo laudavimus, locos id ipsum comprobatur ab Homero, <sup>6)</sup> qui Agamemnonem apud inferos Achilli justa funebria ad Trojam ipsi peracta narrantem in-duxit, ab Apollonio Rhodio <sup>7)</sup> et Virgilio, <sup>8)</sup> apud quem habemus in Aeneide <sup>9)</sup> locum cardinalem ad propositam rem demonstrandam. Hunc morem ipsum etiam apud gentes, quas vocant barbaras, valuisse auctor est Livius, qui de exsequiis in honorem Graecchi interfecti celebratis sic exponit: <sup>10)</sup> Alii tradunt in vestibulo castrorum Punicorum rogam exstructum esse: armatum exercitum deuecurisse cum tripudiis Hispanorum motibusque armorum et corporum cuique genti assuetis.

Quae si recte se habeant, haud in dubio esse potest, morem etiam atque etiam ita invaluisse, ut jam non solum memoria heroum neque illa semel tantum ludis gym-nicis coleretur, sed res etiam transferretur ad exsequias aliorum hominum dilectorum ludique una cum inferiis annuis repeterentur. Sic enim Aeneas apud Virgilium l. c. <sup>11)</sup> diem illum, quo reliquias diviniqae ossa parentis terra condiderit, sacrum se habiturum et eo, ubicunque terrarum versetur, annua vota pompasque solennes exsecuturum pronuntiat. Celeberrimorum quoque ejusmodi ludorum, quos vocabant *Υακίνθια*, Amyclis urbe a Spar-tanis quotannis celebratorum frequens fit apud veteres mentio. <sup>12)</sup>

<sup>1)</sup> Ov. Met. X, 177 sqq. Eur. Hel. 1488. — <sup>2)</sup> Apollod. II, 4, 4. — <sup>3)</sup> Pind. Ol. XI, 72. — <sup>4)</sup> Id. Isth. I, 25. —

<sup>5)</sup> Hom. II. XXIII, Apoll. l. c. — <sup>6)</sup> Od. XXIV, 68. — <sup>7)</sup> I, 1059. — <sup>8)</sup> Aen. XI, 188. — <sup>9)</sup> V, 45—603. — <sup>10)</sup> XXV, 17. —

<sup>11)</sup> Aen. V, 45—603. — <sup>12)</sup> Ov. Met. X, 217 sqq. Martial. XIV 164. Xen. hist. Gr. IV, 5, 11. Paus. III, 10, 1. IV, 19, 3. Thuc. V, 23.

Istæ vero corporis exercitationes, ubi primum exsequias, quibus niterentur, habuerunt, sæpius usurpando, ut fit, altius provectæ et magis magisque excultæ sunt, ita quidem ut jam dignæ haberentur, quibus omnia deorum ipsorum solennia ornarentur: quo quidem modo factum esse videtur, ut Hyacinthia, quæ modo nominavimus, non solum in memoriam Hyacinthi necati, sed etiam ad Apollinis honorem habita esse acceperimus.<sup>1)</sup> Nec minus Vossius noster, rerum antiquarum scientia vir clarissimus, de Virgilio Georg., lib. IV, 563, disserens memoriam docet Parthenopes nymphæ, quæ Neapoli divino honore colebatur, ludis gymniciis, non iis vero annuis, sed quinquennialibus fuisse honoratam.<sup>2)</sup>

Præterea apud omnes fere Græciæ populos deorum solennia memorantur, cum quibus ludi gymnici erant conjuncti, unde id quidem apparet, rem gymnica, etsi peculiare quiddam de ea duobus post Homerum sæculis memoriæ non proditum est, nunquam tamen neglectam, sed in aliis civitatibus alia ratione fuisse excultam, prout vel natura loci permittebat, vel singularis populorum indoles postulabat.

Quare factum est, ut Cretenses e. g. excellent currendo et sagittando, Thessali vero et Epirotæ propter certamina equorum et curruum insignes essent;<sup>3)</sup> namque Creta insula, quum maxime esset montuosa, neque equos multos aiebat, neque equorum et curruum usum tam frequentem permittebat, quam Thessalia et Epirus, utpote quæ ob fertilitatem terræ et planitierum amplitudinem aptissimæ erant ad equos quum alendos tum exercendos.<sup>4)</sup>

Deinde ex diversa singulorum Græciæ populorum natura colligi potest, ipsos ludos gymnicos multis ex partibus apud alios aliter comparatos fuisse et maximam quidem eorum dissimilitudinem intercessisse inter Dores et Jones, quorum alteri per Spartanos, alteri per Athenienses optime representantur. Illi enim quum maxime belli studiis dediti essent, iis potissimum exercitationibus haud dubie incumbant, quibus ad bellum gerendum et robustiores et aptiores fierent. Quod si verum est, facile intelligitur, cur Spartani, quum in cursu, luctatione et quinquertio essent celebratissimi, nullos inter se habuerint hieronicas in pagilatu et pancratio, quippe quibus certaminibus nihil fere, ut putabatur, ad peritiam belli assequendam valentibus minorem impenderent operam. Hic mos, qui jam ante Lycurgi tempora obtinuisse credi potest, ab ipso retinebatur. Is enim, quum in civitate constituenda et ordinanda ex ceteris institutis pristinis, quæ ipsi ad novam rerum publicarum formam apta esse visa sunt, ea retineret et ex arbitrio suo aut corrigeret aut

1) Paus. III, 19. — 2) Plin. III, 5, 9. Sil. Ital. XII, 23. — 3) Virg. Georg. I, 59, III, 120. — 4) Buttmann, Mythol. II, 246 ff.

amplificaret, tum etiam exercitationibus gymniciis operam dedisse maximam credi potest. Constat enim inter omnes, id maxime spectasse illum, ut juvenum educatio ac disciplina totius rei publicæ esset quasi fundamentum.

Jam quum ei persuasum esset, quamcunque civitatem firmiter atque aptius niti strenua corporum disciplina quam animorum eruditione, juventutem ærumnis ac laboribus adsuæsci, inertia vero et voluptatibus desuesci voluit idque nulla re melius assequi se posse putavit quam ludis gymniciis, quippe quibus cives ad eam, quam patriæ dedisset, rerum publicarum administrandarum formam maxime idonei redderentur. Nec vero illud fieri voluit solis in viris, sed etiam in feminis, quæ ceteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occultebantur. Itaque simul cum pueris puellæ exercitationibus gymniciis interesse solebant. Jam a septimo ætatis anno pueri in ordinem distributi, quibus majores natu adolescentes (ἐπίτροποι) erant præfecti, in gymnasiis, quæ vocabantur, quotidie exercebantur currendo, saltando, luctando, nando, venando, esuriendo et sitiendo, algendo et æstuando et quibuscunque laboribus perferendis.<sup>1)</sup> Ab hac rei gymnasticæ indole haud alienum esse videbatur, pueros certis temporibus plagis cedere et summis verberum doloribus cruciari,<sup>2)</sup> quo promptiores fierent ad munera militaria eorumque ærumnas olim subeundas: quibus corporis cruciatibus ut solenne quiddam inesset, sacris deorum faciendis simul cum aliis ludis gymniciis annectebantur. Sic enim Plutarchus in vita Lycurgi tradit, sua etiam ætate apud Lacedæmonios ad aram Dianæ Orthiæ et Mercurii pueros verberibus cætos emori: cui rei ne fides derogeretur, conferendus est Cicero in Tusc. disput. II, 15, 34, qui, quamquam nec Mercurii nec Dianæ aram nominat „Spartæ vero,“ inquit, „pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus et visceribus sanguis exeat; nonnunquam etiam, ut, quum ibi essem, audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.“ Videndus etiam Philostratus de vita Apoll. VI, 10, ubi de moribus Lacedæmoniorum disserens memoriæ tradit, consuetudinem verberum in Scythiæ Dianæ honorem servari, quod ita, ut ajant, oracula præcepissent. Memorantur deinde sæpissime<sup>3)</sup> γυμνοπαίδαι, ludi apud Spartanos celeberrimi, quibus pueri nudi tripudiantes laudes deorum canebant in honorem Spartanorum, qui pro patria in Thyreis occubuerant. Horum ludorum mentionem facit et Hesy chius adiciens, quosdam auctores tradere, in hoc festo Spartiatis adolescentes, ordine circumstantes aram, terga mutuis verberibus

1) O. Müller, Dorier: Ueber Sindererziehung. — 2) Cic. Tusc. disp. V, 27, 77. — 3) Herod. I, 82, VI, 67. Xen. mem. I, 2, 61. Plut. præc. pol. Paus. III, 11, Plat. de legg. I, 633, d. Plut. Ages. 28, 29. Plut. Lyc. 15, All.

bis cadere consuesse. Itaque quum sic fere comparata esset Spartanorum educatio, sane si tales fieri debebant, ut neque in palaestris, neque in ludis sacris, neque in bello ab aliis facili negotio superari possent, etiamsi id concedimus sapius factum esse in iis agonibus, quorum indoles ab arte quadam adhibita non abhorrebat. Id enim proprium erat rei gymnasticæ Spartanorum, ut, quoad Lycurgi leges moresque veteres vigerent, omnem aspersionem *τέγην* minimique apud eos esset *παιδοειρήνης*. Quum vero legum Lycurgearum vigor sensim obscuraretur et evanesceret, neque Spartani inter se solos certamina instituerent, sed cum ceteris Græcis, jam florentibus ludis Olympiis, Pythiis, Isthmiis et Nemeis, sapius congregarentur, fieri non potuit, quin res gymnastica, quæ prius longe aliter comparata fuerat apud alios, similem magis magisque ac parem indiceret naturam.

Jam circumspectantes, qualis fuerit res gymnastica apud ceteros Græcos, eam eadem fere ratione comparatam videmus non solum apud omnes Peloponnesios, sed etiam apud Bœotios et imprimis apud Thebanos, qui tantum studii posuisse in exercitationibus gymnasticis tantumque in iis profecisse dicuntur, ut ab omnibus Græcis palaestræ imprimis periti haberentur. Plutarchus in symp. II, 5, 2, victoriæ Leucetricæ eam præcipuam declarat causam, quod Thebani fuerint luctatores Spartanis longe meliores. Ceterum, quanti res gymnastica a Thebanis sit æstimata et quæ fuerit ejus ratio, cognoscere possumus ex iis, quæ Cornelius Nepos de vita Epaminondæ II, 4, 5, divulgavit. „Postquam“ inquit „ephebus factus est et palaestræ operam dare cœpit: non tam magnitudinī virium servivit, quam velocitati. Illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli utilitatem existimabat pertinere. Itaque exercebatur plurimum currendo et luctando, ad eum finem, quoad stars complecti posset atque contendere.“ Præterea quum res sit notissima, Bœotiorum mores fuisse asperos et rigidos neque *κόσμιον*, quod dicebant Græci, perpolitos, id quoque prorsus ex rei natura esse apparet, si statuimus, eos in corporibus exercendis multo majorem consumsisse operam quam animis exornandis: quo factum est, ut, quod attinebat ad disciplinam gymnasticam, proxime accederent ad Spartanos longeque recederent ab Atheniensibus. Apud hos quomodo illa comparata fuerit, nunc videamus.

Quodsi primum inquirimus in tempus, quo res gymnastica publici juris facta sit publicæque educationis pars necessaria existimari cœperit, tam certum terminum, quam apud Spartanos ponere nequimus. Solonis quidem ætate eam jam viguisse Solonemque civibus, qui Olympia vel Isthmia vicissent, præmia publice proposuisse multi sunt, qui tradiderunt, et Lucianus præclarissimam illam, quam depinxit rei gymnasticæ imaginem,<sup>\*)</sup> refert ad

\*) Anacharsis sive *περί γυμνασίων*.

illius viri ætatem: quamquam, quo magis Atheniensium potentia ac vires adauctæ sunt, eo plus incrementi etiam sine dubio capiebat res gymnastica, ita quidem, ut ea victoriis de Persarum rege reportatis in amplissimum splendoris fastigium efferretur. Ceterum apud Athenienses gymnasticæ exercitationes non, ut apud Spartanos, ex sola utilitate, quam belli peritiæ augendæ afferrent, æstimatæ, sed ad humanitatem i. e. universam hominis quum animi tum corporis indolem colendam ornandamque pertinere existimatæ sunt, id quod Euripides poeta optime expressit his verbis: „πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπαρχόν εν βίῳ, τὴν ἀξιώσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμα ἔχειν.“ Notissimæ sunt etiam voces illæ frequenter obviæ: *καλοκαγαθία* et *καλοκαγαθός*,<sup>1)</sup> quibus Athenienses hominem ab omni parte perfectum significare solebant, statuentes animum sanum et ornatum esse non posse nisi in corpore sano et ornato. Ex quibus apparet, eorum disciplinam gymnasticam non his illius exercitationibus temperatam, sed omnes, quotquot in usu fuere, amplexam esse: quare factum est, ut in omnibus fere agnibus, quibus decertari solitum est, in magnis Græcorum ludis sacris permulti prædicarentur Athenienses, qui palmam victricem retulissent. Hi enim veterum auctores, qui de ludis sacris maxime Olympiis tractarunt, Julius Africanus, Eusebius in chron. et Pausanias, nec non Xenophon, Thucydides et Diodorus, et eorum quidem priores tres *σταδιονίκας Ὀλυμπικούς* deinceps enumerantes, alteri his nominibus singulas Olympiades significantes, permulta Atheniensium victorum nomina divulgant; præterea *σταδιοδρομοῦντες* percelebres enumerantur a Platone;<sup>2)</sup> nec minus multi laudantur victores in ceteris agonibus, maxime in cursu equestri, cujus summam adeptus est gloriæ Alcibiades;<sup>2)</sup> is enim equos, quibus postea in Olympiis uteretur, tanta cura ac studio ipse enutrivit, ut ad ludorum celebrationem septem quadrigas perduceret iisque vinceret, quod nemo adhuc vel regum vel privatorum hominum fecerat. Deinde quum Athenienses potentia et opibus magis magisque accrescentibus literarum et artium liberalium moderatores gnarique existimatatores extitissent, iidem, quid in re gymnastica jam moris esse deberet, optime statuere posse videbantur, id quod propterea etiam factum esse facile probabitur, quod Athenæ ipsæ nitescerent et propter pulcherrima, quæ ibi erant, gymnasia, et propter ludos sacros maximo cum splendore magnaque ceterorum Græcorum frequentia ibi celebratos: ex quorum numero permagno tantum affero Panathenæa et ea quidem duo, majora quinto quoque anno facta, et minora anniversaria. Quæ quanta sint celebritate facta, inde cognosci potest, quod Isocrates de iis conscripsit libellum peculiarem, qui *παναθηναϊκός* inscriptus est.

<sup>1)</sup> Theag. c. 11. — <sup>2)</sup> Thuc. VI, 16. Isocr. π. τ. *ξενύχους* c. 14. Plut. Alcib. c. 12.

Apud ceteros Græcos quomodo comparata fuerit disciplina gymnastica, verbosius agere et longum est et eo magis supersedere possumus, quod, quæ jamjam de ludis Olympiis, Pythiis, Isthmiis et Nemeis allaturus sum, plus minusve ad omnes Græca lingua loquentes referenda videbuntur. Id solum insuper hic adjiciam, non tantum Actolos, Acarnanes, Thessalos, Epirotas, Macedones, Thraces, sed ad quascunque gentes cultus Græcorum civilis et humanus propagatus fuerat, eas omnes rei gymnasticæ colendæ studuisse. Virg. Aen. III, 703 et Serv. ad h. l.

Propositum nostrum quum hucusque ita tractaverimus, ut in universum æstimates cognoscere possitis, carissimi discipuli, unde primam duxerit originem res gymnastica qualisque apud singulos Græciæ populos fuerit, nunc inquirendum nobis videtur in causas, quibus ista quatuor magna solennia tantum valuerint ad illam excolendam et augendam. Jam omnium prima causa nobis occurrit illud, quo homines semper trahuntur, studium cum aliis sive bello, sive ludibrio viribus contendendi, quo, qualis unusquisque sit quidve possit, luculenter eniteat ac major æmulandi ardor suscitetur. Hoc vere dictum esse jam satis liquet ex illius agonis descriptione, quam Homerus proposuit in Iliadis lib. XXIII, non minimam ibi illi studio et populorum æmulationi depingendis curam impendens: namque non singuli cum singulis, sed populi cum populis concertare nobis recte judicantibus apparent: si quidem unus alterve viribus vel arte superior evasit, socii i. e. gentiles clamorem ad sidera tollunt præmiisque quasi suis abreptis victorem triumphantes abducunt. Neque aliter rem se habuisse videmus in ipsis ludis Olympiis, quippe in quibus non solum victoris, sed etiam patris et patriæ<sup>1)</sup> nomen a præconibus alta voce pronuntiari solebat, ita ut non illi, qui vicissent, sed eorum patria coronari videretur. Quid enim? Pompæ solennes,<sup>2)</sup> quibus victores in patriam reducebantur ceterique honores<sup>3)</sup> illis concessi nihil aliud expriment atque gaudium victoriæ quasi a civibus omnibus reportatæ. Quapropter Olympionicis haud secus, ac si rebus bene gestis de patria optime meruissent, statuae non solum in gymnasiis et palæstris, sed etiam in templis dicatæ sunt, adeo ut a Græcis Olympionicen esse majus censeretur munus, quam a Romanis de hostibus triumphus. Altera rei gymnasticæ augendæ causa haud dubie in eo posita erat, quod omnium ludorum sacrorum maxime inclarescebant Olympii, Nemæi, Isthmii et Pythii quum propter eximiam locorum opportunitatem, tum propter vetustissimam institutionis memoriam, tum etiam propter summam eorum, quibus et a quibus dicati erant, dignitatem et auctoritatem. Itaque Archias poeta, cujus exstant hi versus:<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Pind. Ol. V, 8. — <sup>2)</sup> Diod. XIII, 82. Plut. symp. II, 5, 2. — <sup>3)</sup> Diog. I, 55. Plut. resp. V, 465, c. d. e. Plut. Lyc. 22. — <sup>4)</sup> Epigr. I.

Τέσσαρες ἔσιν ἀγῶνες ἐν Ἑλλάδι, τέσσαρες ἱεροί,  
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,  
Ἐπὶ δὲ Δηλοῦ καὶ Πυθίου, Ἀργεῖοιο:  
Ἄθλα δὲ τῶν, κόρινθος, μίλα, σέλινα, πίτυς.

quatuor tantum sacra certamina a Græcis celebrata fuisse prægnantiore quodam accentu cecinit.

Olympii enim ludi propter Jovis Olympii delubrum, quod in Achaja fuit celebratissimum, dicti magnoque conventu totius Græciæ celebrati sunt: aberat autem illud delubrum, cui Olympia nomen erat, in agro Pisano ab Elide trecenta fere stadia.<sup>1)</sup> Qui primus hos ludos instituerit, magna est inter veteres dissensio: namque Diodorus Siculus V, 3, dicit, Olympicum certamen utique ab Hercule primum institutum, non tamen Pelopi, sed Jovi patri dedicatum esse,<sup>2)</sup> dissentiente Solino,<sup>3)</sup> qui, „certamen“ inquit „Olympicum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, intermissum ab Iphiclo, ejus filio, instauratum est post excidium Trojæ anno quadragesimo octavo. Pro hujus sententia facit, quod habet Statius in Thebaidos libro VI:

Hanc prius Alcides Pelopi certavit honorem

Pulverumque fera crinem detorsit oliva.

Quem locum exponens Luctatius: „primus“ inquit „Heracles hunc honorem manibus Pelopis exhibuit, qui erat Pelopi per Alcmenam genere conjunctus.“ Plutarchus in vita Thesei tradit, Herculem, Jovis et Alcmene filiam Olympia instituisse ibique decertasse et palmam esse consecutum. At vero hunc Herculem non eum fuisse, qui ex Jove et Alcmena natus ferretur, sed qui in Creta genitus inter Idæos Dactylos adnominatus esset, certantibus ibidem Hercule, Pæneo, Epimede, Jasio et Ida, Idæis fratribus, Pausanias divulgavit lib. V, ubi amplissime exponit de origine hujusmodi ludorum. Cum his Idæis, alias Curetis dictis, Jupiter infans Olympiam venisse et posthac cum Crono patre de imperio luctatus esse dicitur. Ex hac sententiarum confusione, quas Strabo (VIII, 3, 354, Cas.) ne verbo quidem dignas facit, id pro certo haberi posse videtur, ludos Olympicos jam antiquissimis temporibus exstitisse, sæpius vero temporis conditionibus intermissos, denuo restauratos et in majus paulatim evectos esse: in quibus non mirum esse potest, quod in nomen tam præclarum, quale fuit Herculis, cui veteres, veritatis indagandæ rationem non tam anxie habentes, omnia fere apud majores præclare facta tribuunt, etiam certaminis Olympici instituendi honor collatus est, quod utique non minorem vero conditoris, quam rei conditæ gloriam ac splendorem addidisse apertum est.

<sup>1)</sup> P. Mela II, 3. Strab. VIII, 353, 367. Paus. VI, 22, 5. Hoffmann, Griechenland, ZfI. I, S. 883 f. — <sup>2)</sup> Pind. Ol. 3. — <sup>3)</sup> Polyhist. c., 2.

Jam si missa ætate mythica rem proferamus in lucem veræ historiæ, Iphitum, Eleum, et Lycurgum circa annum DCCCLXXXIV, novissimos reperimus certaminis restauratores. Namque quum dissidiis et bellis inter singulos Græcorum populos exortis Iphitus oraculum Delphicum, quæ potissimum medela his miseris adhibenda esset, consulisset, responsum retulit, certamen Olympicum, quod jacuisset, denuo esse revocandum. cf. Paus. V, 4, 4. Ex hoc tempore ludi nunquam intermissi, sed magis magisque celebrari cæpti et quinto quoque anno repetiti esse videntur. In hac re maximi erat momenti, quod Iphitus oraculi auctoritate nixus, quamdiu agon celebraretur, inducias (*ἐκχειρίαν*) esse jussit: et tanto ob id ipsum honore affectus est Iphitus, ut statua *Ἐκχειρίας* personam representans illique coronam auream imponens in templo Jovis Olympii poneretur. Paus. I, 26, 2. V. 4, 4. V. 20, 1.

Præcones Eleorum (*σπονδοφόροι*) initium sacri mensis (*ἑσπομένης*) pronuntiare omnesque Græcos, qui certaminum participes esse vellent, invitare solebant: quod ubi primum factum est, et agonistæ et spectatores impune patriam relinquere et Olympiam migrare poterant. Pind. Isth. II, 23. Strab. VIII, 3, 343, Cas. At vero illa certamina ab Iphito restituta, ut erant initio pauca et simplicia, sic etiam a paucis Peloponnesi populis celebrata fuisse est verisimillimum: sed brevi temporis spatio interjecto adeo adaucta est celebritas eorum, ut paulatim ab omnibus græca lingua loquentibus frequentarentur. Id enim eo comprobatur, quod uno sæculo post restitutionem, quum Coræbus celebrem in currendi certamine victoriam assecutus esset anno DCCLXXVI, Græci omnes novam temporum rationem, Olympiades dictas, instituerunt et annorum curricula ex ludorum celebratione dinumeraverunt: qui quo magis inlarescebant auctoritate et frequentia, eo major factus est certaminum numerus, ita quidem, ut illud temporis spatium, quod est ab Olympiade quinquagesima usque ad octogesimam quintam, quum ludorum sacrorum tum totius rei gymnasticæ ætatem auream vel classicam dicere possimus. Quod ut magis eluceat, hic repetam ea, quæ Cicero de ratione, qua ætate Pythagorea ludi sacri comparati fuerint, memoriæ prodidit. Habet autem ille in Tuscul. disp. libr. V, 3, 9, hæc: „Similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate: nam, ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronæ peterent, alii emendi aut vendendi quæstu et lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum idque vel maxime ingentium, qui nec plausum, nec lucrum quaerent, sed visendi causa venient studioseque perspicierent, quid ageretur et quo modo“ — Nec minus quanto studio certamina Olympica tum temporis celebrata sint, satis liquet ex iis, quæ legimus apud Herodotum lib. VIII, c. 26. Græci enim, quamvis clade

apud Thermopylas accepta Persarum copie in fines suos effunderentur, tamen, quasi res suæ optime se haberent, ab Olympiorum celebratione desistendum esse non putarunt, ita ut, quum Xerxes ab Arcadum perfugis hac de re certior factus esset, Persarum presentium unus verba ederet hæc: *Παῖσι, Μαρόνιτε, κοίους ἐπ' ἀνδραῶν ἡγαγες μαχεσομένους ἡμίας, οἱ οὐ περὶ χορημάτων τὸν ἀγῶνα ποιεῖνται ἀλλὰ περὶ ἀρετῆς!*

Quin ipsa bella cum Persis gesta maxime in causa fuerint, ut res gymnastica tantopere effloresceret, nemini dubium esse potest cogitanti, Græcos disciplinam gymnasticam, qua inde a pueris imbuti essent, invenisse primariam causam, propter quam et virtute et belli peritia barbaris tam longe superiores fuissent. Quare cautum erat in legibus Olympicis, ne quis ad certamina accederet, qui quacunque infamia aut nota aspersus esset. Omnes enim, qui aut Græci non erant, aut libertate non utebantur, aut *ἄτιμοι* vel *ἀσεβεῖς* habebantur, strenue ab Hellanodicis remoti sunt a certaminum societate, quin etiam, si cui universæ civitati, sive quod contra religionem quidquam peccasset, sive aliam ob causam gravissimam, ne certaminum partem capesseret, interdictum erat, nulli ejusdem civi licebat tempore festo Olympiæ diis sacra facere.

Ad quæ omnia denique accessit, ut artes plasticæ vel effectivæ, quas vocant, quasi societatem inirent cum arte gymnastica et se invicem maxime promoverent atque alerent. Namque quum Græcis persuasum esset, ex corpore humano optime cognosci animum neque posse a corpore sano et formoso animum perpolitum sejungi, artifices etiam, ut vitam actionesque animi exprimerent, corpora humana lubentissime, quæ effingerent, sibi eligebant et illa quidem non mortua sed viva: quorum non pulchriores et validiores formas inveniri posse putabant quam in gymnasiis et palæstris. Itaque O. Muellerus „Kunstsch. S. 404, 2, recte sit ait: Die Gymnastik gewährte natürlich viel schönere Entwicklungen männlicher Kraft und Schönheit, als die steifen Akte der Akademie;“ et „Archæol. der Kunst § 336: „Da der menschliche Körper unmittelbar hingestellt, die Hauptform der bildenden Kunst war, so ist es auch nur der natürliche Körper, und nicht irgend ein von menschlichen Sitten und Einrichtungen hinzugefügtes Anhängsel, welcher Geist und Leben unserm Auge sinnlich und anschaulich darstellt. Indeß gehörte ein hellenischer Sinn dazu, um bis zu dem Punkte hindurchzubringen, wo die natürlichen Glieder als die edelste Tracht des Mannes erscheinen. Die Gymnastik war es, die diesen Sinn besonders nährte und deren höheren Zwecken frühzeitig alle unbequeme Scham geopfert wurde. Obscöne Nebengebanten kamen gar nicht auf, da der Hauptzweck der Gymnastik, die dargestellte Schönheit des Körpers, zu sehr interessirte.

Quo factum est etiam, ut gymnasia et palæstræ abundanter status victorum præclarorum quum in ludis gymnics tum in bello, ita quidem, ut artifices his statibus in

status ponendis uterentur, in quibus victoriam essent adepti. cf. Corn. Nep. Chab. I, 3. Ad has accedebant simulacra deorum et inprimis Mercurii, quem artis gymnasticæ patrum (*ἀγωνίων* vel *ἐναγωνίων*) colere cuiusque status in omnibus gymnasiis ponere solebant et illas quidem ita comparatas, ut deus ipse exercitationibus gymniciis quasi formatus videretur. cf. Pind. Isth. I, 60. Pyth. II, 10. Ol. VI, 79. Arist. Plut. 1161. Paus. V, 14, 7. Cic. ad Att. I, 4. in Verr. II, 5, 72. Præter Mercurium Palæstra, ejus filia eademque luctandi certaminis inventrix, Minerva et Apollo nominantur dii *ἐναγωνίοι*. Luc. Anach. 7. Plut. Symp. VIII, 4, 4. Paus. I, 30, 4. I, 31, 3. II, 32, 10. Contra autem Dionysum ejusque socios, Satyros, Silenos, Panes, utpote omnis disciplinæ gymnasticæ expertes, validas quidem figuras sed rudes quasi indigestasque moles effingere solebant.

Ex Olympiade octogesima quinta, quam ultimum auræ ætatis terminum diximus, certaminum Olympiorum splendor obscurari et res gymnastica collabi cœpit. Illa etiam solito more celebrabantur usque ad Theodosii ætatem et nonnulli Romanorum imperatores<sup>1)</sup> in iis agendis summum ponebant studium, tamen ea, qua antea claruerant, celebritas nunquam usque revocata est. Namque ut omittamus miserias discordiarum, quibus primum bello Peloponesio, deinde Thebano conflato universa Græcia dilacerabatur, amissa libertate vitæ nervus quasi succisus est et ludis sacris et universæ rei gymnasticæ, quippe quibus potissimum ad libertatem tuendam ac nomen Græcum illustrandum idoneos se fieri credidissent. Res gymnastica, quæ prius civium liberorum decus maximum fuerat, magis magisque transibat ad athletas, qui jam non propter coronam oleam assequendam, sed quæstus causa certabant, neque spectatores gaudebant victoribus, quia bene de iis sperarent, sed quia novum spectaculum viderent.<sup>2)</sup> Ludi Pythii, Isthmii et Nemei, ut erant Olympiis ætate posteriores, ita etiam celebritate inferiores traduntur, quare de iis verbosius tractare et, quæ certaminum ratio fuerit, quærere, possumus omittere, præsertim quum, quæ de Olympiis proposuimus, ea omnia non minus de illis proposita videantur.

Pythii ludi, a Pythone interempto dicti,<sup>3)</sup> in honorem Apollinis celebres fuerunt, et in iis victores lauro coronati triumpharunt: qui quamquam a Diomede primum iustituti feruntur, tamen non ante sextum sæculum a. Chr. in magnis Græcorum festis numerandi sunt. Eo enim tempore, quo hymnus ille Homericus in Apollinem est conditus, oraculum quidem jam celebratissimum fuit, sed ludorum sollemnium nondum ulla fit mentio. Idem

<sup>1)</sup> E. g. Augustus cf. Suet. vit. Aug. 45. Strab. I, 7; Nero, cf. Suet. vit. ejus, 23, 24. — Plin. ep. X, 119. Just. X, 53. — <sup>2)</sup> Aelian. V. H., XIV, 18. —

<sup>3)</sup> Ov. Met. I, 446 sq. Plin. XV, 30.

statuere possumus de tempore, quo Isthmii et Nemei ab omnibus Græcis celebrari cœperunt, quamquam id non sumus negaturi, eos jam multo ante a singulis Peloponnesi populis fuisse habitos. Hermannus in libello, „Feste v. Hellas“ inscripto, primæ institutionis honorem vindicat Doriensibus.

Isthmii ludi ab Isthmo Achajæ nomen traxerunt<sup>1)</sup> et in delubro Neptuni inclyto, quod ibi erat, in honorem Melicertæ seu Palæmonis, aut Portunni, dei marini, facti sunt, et primum quidem a solis Corinthiis, ut Strabo affirmat, deinde vero a conventu Achajæ, denique totius Græciæ. Instituisse eos Theseum, ductum æmulatione Herculis, qui Olympia instituerit, sunt qui memorent. Erant autem quinquennales et tanta religione celebrabantur, ut ne deleta quidem Achaja a L. Mummio ab eorum spectaculo desisterent Græci, et, cum deserta Corintho cives superesse nequirent ludis celebrandis, Sicyonii, proximis Achajæ incolis, ne intermitteretur celebratio, cultum curamque demandarent. Præmium ferebant victores coronam apii (Diod. Sic. XVI, 21. Plut. Timol. I, 4. Diphil. ap. Athen. VI Deipn.), postea vero pineam. (Plin. XV, 10.)

Quartos denique ludos Nemeos in Nemea silva in Archemori, a serpente interempti, honorem institutos ferunt (Apoll. III, 6, 4, 1, 5. Strab. VIII, p. 377) non minore apparatu et celebritate: in quibus equorum cursu, disco, cestu et palæstra dimicari victoresque corona apii ornari solebant (Plin. XIX, 8), ideo quod super hanc herbam reptantem puerum a dracone interemptum ferebant. His quatuor magnis sollemnibus adjici possunt ea, quæ in insula Delo maximo omnium Græcorum studio celebrabantur, hac duplici natura, quod mulieribus etiam, quæ ceterorum ludorum spectandorum honore exclusæ erant, iis interesse licebat, et quod in iis primum cum agone gymnico conjungebatur *ἀγών μουσικός*.

Quæ omnia recte perpendentibus nobis statuendum erit, rem gymnasticam, etiamsi, ut vidimus, in singulis civitatibus festis singularibus colebatur, tamen Olympiis celebrandis maxime effloruisse. Quo plures enim civitates Olympiorum partem capescebant, eo major fiebat conflatus agonistarum, qui ante oculos universæ Græciæ certamina subirent. Jam quum sacrorum lege sancitum esset, ne cui agonistæ liceret, cum quo congrediretur, quempiam eligere, sed ut cum primo procedente congrediendum esset, atque quum ab aliis aliâ certaminum genera in medium proferrentur, fieri non potuit, quin agonistæ, priusquam universæ Græciæ ante consessum certamen inirent, in gymniciis exercitationibus summam curam ac studium domi ponerent et proinde omnis res gymnastica plane muta-

<sup>1)</sup> Plin. IV, 5.



retur: quæ, quum antea fuisset empirica, ut ita dicam, jam in artem paulatim vertebatur. Hanc ob rem creverunt etiam ejus cultus et cura publica. Namque voces: *γυμνασιῶν τέχνη, γυμνάσιον, γυμνασιάρχης, γυμνασιάρχος*, quas apud Homerum nusquam deprehendis, jam sæpissime et inveniuntur et documento possunt esse, quanti sumtus publice in artem gymnasticam colendam sint collati. Unaquæque urbs, quæ ullius erat momenti, jam non carebat gymnasio vel palæstra nec non pædotribis, gymnastis, gymnasiarchis et quæ cetera ad eam disciplinam pertinere putabantur. Quin etiam nonnullæ urbes plurium gymnasiolorum et palæstrarum ornatu splendebant. Itaque Pausanias (X, 4, 1.) Panopæis, Phocidis antiquissimæ urbi, quum in ea neque theatri, neque fori, neque *gymnasii* vestigia invenerit, vix nomen urbis jure tribuendum esse censet. Initio quidem gymnasia haud dubie erant ædificia rudia atque longe recedentia ab illa structuræ concinnitate apparatusque amplitudine, quibus postea quinto et quarto sæculo a. Chr. nitere solebant. Quorum quum plurima extra urbium muros exstructa essent, id potissimum respexisse videntur veteres, ut locus esset et situ et arborum umbris amœnus, neve procul abesset aut flumen quoddam aut mare ipsum, quo facilius exercitationibus gymniceis finitis corpora defessa ablui et recreari possent. Quæ certe cadunt in gymnasia, quæ florebant Athenis, Thebis, Megaræ, Argis, Corinthi et Elide, cf. Paus. VI, 23, 1—6. VII, 21, 4. VIII, 26, 1. I, 30, 2. II, 4, 6. Anach. c. 16. Liv. XXXVI, 22.

Amplitudinis, qua Platonis ætate gymnasia fuerint, documentum possumus depromere ex nominibus spatiorum, quæ auctor diversis librorum suorum locis<sup>1)</sup> ad gymnasium integrum pertinere docuit. Sunt autem ea hæc: *ἐπιβείον, ἀποδυτήριον, ἐλαιοθήριον, κοιμητήριον, βιβλιοθήριον, πυριαιτήριον, σφαιροστήριον, ξυστοί, δρόμος, καταστήριον, ἀλλή εἶλω*. — Quum vero res neque ex his nominibus satis appareat, neque alius quisquam Græcorum auctorum dilucidam et perfectam gymnasii integri descriptionem exhibuerit, ejus rei rationem accuratius dispecturis confugiendum est ad Vitruvium, qui architecturæ peritissimus, quomodo Græcorum *palæstræ* constitutæ et exstructæ fuerint, libri quinti cap. undecimo et libri sexti cap. septimo fusius exposuit, ita tamen, ut recentiores ejus interpretes, quales sunt Hirtius,<sup>2)</sup> Bekkerus,<sup>3)</sup> Stieglitzius<sup>4)</sup> alique sententias valde discrepantes inde hauserint: quas tamen accuratius in examen vocare longum est. Sed utut ea se habent, gymnasia non minus quam deorum templa urbium et pulcherrima decora et commemorandi loca amœnissima a Græcis fuisse habita, constat inter omnes. Namque e

<sup>1)</sup> Lys. c. 9, p. 206, e; Euthyd. c. 2, p. 272, e. 273, a; Theæt. c. 2, p. 144, b; Phæd. p. 227, a, b. cf. Aristoph. nub. 1045. Xen. Oecon. c. 9. Resp. Athen. II, 10. — <sup>2)</sup> Gefh. der Baukunst. — <sup>3)</sup> Gefh. I, S. 329. — <sup>4)</sup> Arch. der Baukunst II, 247.

Platonis dialogis æque, atque e scriptis Xenophontis et ex comædiis Aristophanis discimus, quam libenter Athenienses in gymnasiis suis commorati sint. Jam vero quum nobis libros veterum auctorum evolventibus nomina *γυμνάσιον* et *παλαιστρα* sæpissime occurrant, haud absonum esse videtur, querere, num idem valeant an diversi quidquam. Rem si curiosius inspicimus, non possumus facere, quin inter utrumque initio quidem aliquantum interfuisse statuamus, etiamsi posteris temporibus promiscue dictum esse non negemus. Id enim jam eo comprobatur, quod Athenis e. g. et plura exstitisse gymnasia et plures palæstræ traduntur. Res autem ita mihi comparata esse videtur, ut palæstram gymnasii primum fundamentum fuisse et locum, ubi luctatores (*παλαισται*) se exercerent, significasse haud sine magna veritatis specie credere possimus. Pausanias (I, 39, 3.) luctandi certaminis inventionem in Theseum referens, posthac *πάλης διδασκαλεία* i. e. *παλαιστρας*, utpote modica ædificia, in quibus exercitationes gymnice institutæ sint, condita esse affirmat. Quibus accedit, quod veteres auctores, quotquot rem gymnasticam attigerunt, sæpissime voce palæstræ utuntur pro luctatione. His simplicibus palæstris quum annis procedentibus aliæ diversæ partes sine dubio adjectæ essent, integrum denique exstitit gymnasium. Ex iis valde fit probabile, etiam posteriore ætate palæstram vel integram gymnasii partem vel singulare quoddam ædificium et illud quidem gymnasio minus amplum fuisse. cf. Poll. III, 124. Paus. VI, 23, 3; 21, 2. Id etiam maxime in causa fuisse videtur, quod, quum gymnasia semper ædificia publica et nominarentur et haberentur, illæ palæstræ, quippe quibus condendis non tam magnis opus erat sumtibus, sæpissime privatorum erant. Sic enim athleteæ divites et celebres, quales fuerunt Diagoridæ in insula Rhodo vel Corinthi Oligæthidæ, suas palæstras propriis sumtibus exstructas habuerunt. cf. Paus. VIII, 12, 3. Quæ si tenemus, facile est intellectu, cur in palæstris athleteæ, in gymnasiis vero, utpote in publicis institutis, inprimis ephebi, ad quos etiam publica præstatio gymnasiarchiæ pertinebat, gymniceis exercitationibus incumbere soliti sint. Paus. II, 10, 6. VII, 27, 2. Strab. XIV, 2. Plut. Amat. c. 5. Cim. c. 16.

Verumenimvero multum abest, ut id simus ita dicturi, acsi gymnasium solis ephebis vindicandum sit, ut potius etiam pueris, quin etiam athleticis ad gymnasia aditum patuisse concedamus, hoc tamen discrimine facto, quod athletarum exercitationes neque publica res habebantur, neque a gymnasiarchis regebantur, sed quum in separato quodam gymnasii loco, tum alio tempore atque exercitia epheborum instituebantur. cf. Plut. de tuend. val. c. 18.

Pueri, ex quo tempore iis certaminum sacrorum partem capessere licebat et proinde eorum ipsorum disciplina gymnastica instituendorum major fiebat cura, sine dubio in

gymnasiis exercebantur et in custodiam gymnasiarchorum tradebantur. Athenis quidem alii gymnasiarchi ephebis, alii pueris praevisse satis constat. Quum Theophrastus gymnasia, in quibus ephebi exerciti sint, discerni velit ab aliis quibusdam, his magna cum veri specie gymnasia puerorum, fortasse etiam athletarum, intelligi possunt.

Præterea, quanti aestimata fuerit disciplina gymnastica, quantumque in ea excolenda positum studium, inde colligere possumus, quod peculiare electi sunt magistratus, qui *γυμνασιάρχαι* vel *γυμνασιαρχοί* nominati, id maxime curabant, ut epheborum et puerorum exercitationes rite fierent in gymnasiis, neve in ea irreperant mores depravati et flagitiosi. Eam curam si quis gymnasiarcha negligeret, ex lege *τῆς ἐλευθέρων φθοράς*, quam habemus servatam apud Aeschinem in orat. contra Timarch. § 12, morte damnatus est: ex quibus manifestum est, gymnasiarchis, ut partes suas explere possent, non parvam fuisse datam potestatem. Sine dubio ipsis tradita erat cura publica atque custodia totius gymnasii et omnium rerum ad id pertinentium, ita ut nihil risi cum ipsorum auctoritate fieri posset. Ephebos et pueros laudare, vel reprehendere, vel etiam punire utique eorum erat et illud quidem non solum intra, verum etiam extra gymnasia, si quid contra bonos mores ab ephebis peccatum esse viderent. Id enim Thespiis in Bœotia usu venisse Plutarchus docet (Amat. c. 9, 10,) verbis non dubiis hisce: *ἄρχονσι γὰρ ἰσχυρῶς τῶν ἐφήβων, καὶ προσέχουσι τὸν νοῦν σφόδρα τοῖς ὑπ' αὐτῶν πραττομένοις.*"

Nec minus in eorum potestate erat positum, severe in eos animadvertere, qui insultassent ephebos et pueros, vel in gymnasia se conferentes, vel ex iis redeuntes, vel alia quadam data occasione (Plut. Amat. c. 10, cf. Aesch. c. Tim. § 12 sq.); quin etiam rhetores, philosophos et sophistas e gymnasiis ejicere gymnasiarchis licebat, si pernasium sibi habebant, fore, ut illorum dictis et præceptis juvenum mores corrumperentur. Prodicum quidem sophistam, quia *οὐκ ἐπιήδεια* eorum juvenibus locutus esset, e gymnasio expulsum et Craten philosophum<sup>1)</sup> eandem ob causam virgis cæsum et pedibus e gymnasio tractum ferunt. Quæ omnia ut fieri possent, gymnasiarchis et ministri additi erant et ipsis baculos, potestatis suæ quasi symbola, ferre licebat.

Quibus non repugnant ea, quæ ab aliis auctoribus quum veterum,<sup>2)</sup> tum recentiorum<sup>3)</sup> temporum diversa, ut videntur, de gymnasiarcharum vice tradita sunt. Sunt enim, qui gymnasiarchas non magistratus publica potestate præditos fuisse, sed choragorum et trierarchorum instar,<sup>4)</sup> inter *λειτουργούς ἐγκυκλίου*, ut Græcis utar verbis, ab

1) Diog. Lært. VI, 90, p. 358. Meib. —

2) Lucian. Anach. c. 3. — 3) Bekk., *Ἐτασθ.*, I, 495. — 4) Xen. resp. Athen. I, 13. Isocr. π. τ. ζεογ. c. 14.

randos contenderint, neque perpetuum fuisse ipsorum munus, sed in tempus certum iis delatum ea mente, ut ephebos ad sacra certamina præparandos et certamina ipsa rite et magnifice instituenda curarent atque iis peractis a munere se abdicarent. Bekkhus I. c. moris fuisse docet, ut gymnasiarchi suis sumptibus præberent oleum ad quasdam exercitationes necessarium itemque pulverem, deinde ut eos, qui certamina inituri in gymnasiis exercebantur, alerent et gymnasia ipsa in dies festos exornarent. Accedit, quod gymnasiarchi certis temporibus et maxime quidem ante certaminum sacerorum initium sacerdotum munere fungebantur, sacraque solennia faciebant. Paus. V, 4, 2. Ex quibus colligi possunt hæc duo, primum, quod gymnasiarchæ munus, quum ad partes ejus explendas tam magnis opus esset sumptibus, viri divites tantum suscipere poterant, alterum, quod ob hos ipsos sumtus faciendos gymnasiarchis magistratum auctoritas et potestas commissæ esse debebant. Etiam si infitias ire nolumus, rem aliis temporibus aliisque in civitatibus aliter comparatam fuisse, id certe concedendum esse videtur, gymnasiarchas Athenis ea quidem ætate, quæ erat post Solonem, veros fuisse magistratus, quippe quorum nomina simul cum ceterorum magistratum nominibus referri solerent in indices publicos quoque anno confectos. Quo tempore primi gymnasiarchæ instituti sint, non satis quidem constat, sed Solonis temporibus eos jam floruisse apparet ex illa Solonis *περὶ τῆς ἐλευθέρων φθοράς* lege, quam supra ab Aeschine in or. c. Tim. servatam citavimus. Quod attinet ad vitæ ætatem, qua singulis gymnasiarchiæ munus administrare licuerit, initio quidem gymnasiarchas fuisse viros annis jam provectos credibile est propterea, quod eadem choragorum eligendorum ratio haberi solebat. Aesch. I. c. § II. Attamen belli Peloponnesii tempore Athenis etiam cives ætatis minus provectæ, anno duodevicesimo vitæ peracto, munere jam fungebantur, qua ipsa re et gratiam popularem sibi conciliabant et viam sibi muniebant ad alios honores capessendos, nec raro factum est, ut viri divites alius alium largitionibus superare studerent: id quod fecisse ferunt Nicias et Alcibiades. cf. Plut. Nic. c. 3. Isoc. *περὶ τοῦ ζεύχους* c. 14. Plut. Alcib. c. 16.

A gymnasiarchis bene distinguendi neque cum iis confundendi sunt *γυμνασταί*: ii enim æque ac *παιδοτριβῆαι* magistri erant artis gymnasticæ in gymnasiis et palaestris instituebantque in ea quum ephebos et pueros, tum athletas. Sed hoc fere inter utrosque incerebat discrimen, quod *γυμνασταί* majore erant auctoritate quam *παιδοτριβῆαι* et quod tam universæ rei gymnasticæ naturam, quam singularum exercitationum vim atque indolem noscebant, *παιδοτριβῆαι* autem, quomodo singulæ exercitationes fierent, docere tantum poterant. Quod si transferimus ad eam, quæ apud nos valet disciplina gymnastica, vix errabimus statuentes, *γυμναστάς* eorum fere partes sustinuisse, quos Turnebler, *παιδο-*

τριβας eorum, quos dicimus „Vertuner.“ Copiosissime de utrorumque diversa natura disseruit Gallenus, qui tantum ait differe inter se *γυμναστήν* et *παιδοτριβήν*, quantum fere medicus et coquus differant. Is enim (de tuend. val. II, c. 12) hæc habet: „ὁ τοίνυν γυμναστής-ἐπίσταται μὲν ἀπῳτων γυμνασιῶν τὰς δυνάμεις“ et c. 9. „περὶ ὧν ἀπαρτων τὴν ἐμπειρίαν τε ἅμα καὶ τριβὴν ὁ παιδοτριβῆς ἔχει, ἕτερος δὲ τις ὧν ὄδε τοῦ γυμνάσιου, καθάπερ ὁ μάγειρος τὸν ἰάτρον.“ Sed fortasse dixerit quispiam, Galeno, ulpote inferioris ætatis, qua Græcorum res gymnastica senescere jam cœperit, auctori non tantum esse confidendum, sed ad eos recurrendum, qui prius vixerint et de re proposita exposuerint: cui respondeo, Aristotelem (Pol. IV. I. Ethic. ad Nic. X, 9. 15), *τέχνην παιδοτριβικὴν* et *γυμναστικὴν* res esse diversas, docuisse.

Si quid concludere licet nobis de re ex nomine, *παιδοτριβῆς* pueros potissimum instituisse videtur disciplina gymnastica, *γυμνασιῆς* rem egisse cum iis, qui publica certamina inituri essent, ephēbis et athletis: id enim confirmant Plato (Protag. c. 8; Lach. p. 184, d. e.) et Aristophanes (Equit. 1238. Nub. 973) qui, ubi de puerorum disciplina loquuntur, *γραμμασιότην* et *παιδοτριβήν* una semper nominant; *γυμνασιᾶς* autem discipulos suos ad sacra certamina comitari solitos esse tradidit Pausanias (VI, 7, 1; 14, 1). Attamen haud raro accidisse credibile est, ut alter alterius partes sustineret.

Jam restat, ut, quæ potissimum in usu fuerint certaminum genera et quomodo sint instituta, paucis quidem verbis exponam, ex quibus eluceat veterum cum nostra disciplina gymnastica vel similitudo vel dissimilitudo. Octo fuerunt certaminum genera, quibus Græcorum iuventus exercebatur, quorumque nomina hæc circumferuntur: *δρομίος*, *ἄλμα*, *πέλην*, *διοχοβολία*, *ἀκοντισμός*, *πένταθλον*, *πυγμαχία*, *παγκράτιον*. Ex iis Homero (l. c.) jam nota sunt cursus, saltus, iactus disci, jactatio, luctatio et pugilatus vel cestus. Quæ præterea ab illo commemorantur certamina sagittandi et hastis pugnandi, non tam pertinent ad disciplinam gymnasticam, quam ad usum militarem et posteris temporibus neglecta sunt.

Octo illa certamina partim simplicia, partim, ut *πένταθλον* et *παγκράτιον* ex pluribus composita et illis longe recentiora erant.

Omnium quidem ludorum antiquissimus, ut apparet ex rei natura, habendus est cursus (*δρομός*), quum quod ipso facto corporis vires simplici ratione augeri et examinari posse videntur, tum quod Olympiis ab Iphito restitutis per longum temporis spatium currendo tantum certabatur. Paus. V, 7, 8, 1. 2. IV, 4, 4. VIII, 26, 3. Posteaquam alia certamina accesserunt, ludi incipere a cursu et victorum nominibus Olympiades singule significari solebant. Initio hoc certamen ita comparatum erat, ut certantes percurrerent spatium, quod mensuram stadii vel passuum fere centum viginti quinque explebat;

postea verò accesserunt aliæ quædam ejusdem certaminis species: *διαιλος*, *ὀπλίτης δρόμος* et *δόλιγος*: qui quales fuerint, jam videbimus.

*Διαίλον* vulgo interpretantur *δρομίον* duplicem, quo obibant cursores stadium et confestim redibant. Qua de re Vitruvius V, 11 sic disserit: „In palæstris peristylia quadrata sive oblonga ita sunt facienda, ut duorum stadiorum habeant ambulationis circuitiōnem, quam Græci vocant *διαίλον*.“

*Αολιγός* proprie est forma adjectivi, sed accentu transposito substantivi et formam (*δόλιγος*) et notionem induit, ita ut significet curriculum vel cursum quemcunque longum et sola longitudine diversum a stadio, quamvis, quantum ejus fuerit spatium, non satis appareat, quum Suidas id fuisse viginti quatuor stadiorum docuerit, alii duodecim. Poll. 3, 146. Plut. Phoc. c. 23. Sed ut ut id est, *δόλιγος* similimus fuisse videtur illi cursui, quem nos appellamus „Dauerlauf,“ quemque vos, discipuli dilectissimi, sæpe ludibrii causa confectis palæstra nostra relicta aut circum urbem nostram, aut per agros currentes. Ad quæ cursus genera accesserunt alia quædam, Græcis maxime accepta, *ὀπλίτης δρόμος*, quem armis onusti cursores faciebant; *ἐφιππιος*, qui curribus fiebat, et *καυπαθηδρομία*, quam faces gestantes vel pueri vel ephēbi festis diebus instituere solebant. Quæ omnia cursuum genera Græcis valde usitata fuisse comprobant et permulta vasa antiqua, in quibus ejusmodi certaminum imagines effictæ erant, et Plato, (Legg. VIII, 833, b—d), qui illa totius disciplinæ gymnasticæ quasi fundamentum esse voluit.

Altera et ea quidem antiquissima exercitatio gymnica erat saltus (*ἄλμα*), cuius rationem unus quisque facile intelliget, quum nihil fere discrepasse videatur a more nostro: namque a Polluce III, 151, Herodoto VIII, 47 et Pausania X, 9, 1 docemur, saltus rationem fuisse duplicem „Hochsprung und Weitsprung,“ hoc uno intercedente discrimine, quod *ἄλτηρων* usus in utraque fuit frequentissimus. *Ἀλτήρες* haud dubie simillimi erant iis instrumentis, quæ nos dicimus „Sauteln.“ Erant autem globuli oblongiore forma, sed ea non prorsus in ambitum circumducta. Namque quæ pars manibus prensabatur, ansulas habebat, intra quas digiti, uti intra clypeorum lora, immittebantur, quo facilius teneri vel rotari possent. cf. Paus. v. 27, 8. VI, 3, 4.

Tertium certamen nominatur luctatio (*πέλην*, *παλαιμοσύνη*), quæ, ut erat valde antiqua, ita etiam celebratissima fuisse dicitur. Plutarchus in symposio II, 4, τὴν πέλην declarat τὸ τεχνικώτατον καὶ πανοργότατον τῶν ἀθλημάτων: quæ si recte nobiscum reputaverimus, in luctatione non solum corporis robur, sed artem etiam atque peritiam multum valuisse intelligemus.

Ex permultis, qui de hoc certamine apud veteres scriptores exstant, locis, hunc unum ab Ovidio petiitum afferam, quum in eo res ipsa luculentissime sit descripta; habet autem Ovidius (Met. IX, 32, sqq.) hæc de luctandi certamine ab Acheloo et Hercule commisso:

„Rejeci viridem de corpore vestem,  
Brachiaque opposui tenuique a pectore varas  
In statione manus et pugnae membra paravi.  
Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis,  
Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ,  
Et modo cervicem, modo crura micantia captat,  
Aut captare putes: omnique a parte lacessit.  
Me mea defendit gravitas frustra que petebar.  
Haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus  
Oppugnant: manet illa suoque est pondere tuta.  
Digredimur paulum rursumque ad bella coimus;  
Inque gradu stetimus, certi non cedere; eratque  
Cum pede pes junctus, totoque ego pectore pronus  
Et digitos digitis et frontem fronte premebam.“

cf. II. XXIII, 710—734. Stat. Theb. VI, 899. Plut. symp. II, 5, 2. Luc. Anach. c. I et 24. Paus. VI, 4, 1. 2.

Hæc imagine, quamquam ejus argumentum desumptum est ex ætate mythica, quam vocant, tamen poeta non illius temporis, sed longe inferioris rationem luctandi depinxit, quum ne Homericæ quidem ætate luctatores, priusquam certant, oleo corpora unguere et arena asspergere solerent, cujus utriusque rei usus historica demum ætate frequens erat.

Nec minus *διοκροβωλία* in antiquissimis gymnicarum exercitationum generibus est ponenda, quippe quæ ab Homero non solum in agone Achilleo, sed etiam in ludis Phæacum commemoretur.

Discus autem erat orbis,<sup>1)</sup> modo lapideus (Hom. Od. 8, 190. Pind. Isth. I, 34.) modo ferreus vel æneus,<sup>2)</sup> modo etiam ligneus, qui in altum missus inprimis exercebat corpora, ita ut, quantum quisque viribus præstaret, maxime eniteret. Namque is fortior habebatur et præcipuo robore præditus, qui illum ultra metam signatam jecerat. At vero illis, qui ejusmodi certamen inire volebant, non satis erat magnas vires habere, sed etiam maximo opus erat usu et peritia, id quod apparet ex descriptione Homericæ et ex verbis Horatii (de arte poet. 380, 381):

1) Luc. Anach. c. 27. — 2) Paus. V, 20, 1. VI, 19, 3.

„Indoctusque pilæ, discive, trochive, quiescit,  
Ne spissæ risum tollant impune coronæ. —“

Discus enim fuit magno pondere, lævissimus<sup>\*)</sup> et, quia non habebat, quo prensaretur, teneri vix potuit.

Ceterum nostræ etiam disciplinæ gymnasticæ exstat ludus quidam similis, quem vocamus „*Ξφοθεν*“, cujusque ratio est fere hæc, ut globi ferrei vel lapides, vel alia quædam magno pondere moles in metam constitutam projiciantur.

Quintus Græcorum ludus accedit jaculatio, quæ, etiamsi ita fuit comparata, ut non tam ad rem gymnasticam, quam ad usum militarem pertineret, tamen, quum pars quintæ facta esset, in certaminibus gymniceis posita est. In Homericæ agone hunc ludum sic institutum comperimus, ut ad prælii exemplar alius in alium jacularetur hastam, quo facile fieri potuit, ut unus alterve morti succumberet. Itaque quoniam Achæi, ne Ajax a Diomede doloso necaretur, metuerunt, pugnam finire jusserunt. II. XXIII, 811—25. Posteris temporibus non homines sibi eligebant, sed aliam quandam metam, in quam hastas conjicerent, ita ut ludus non valde recessisse videatur ab eo, quem nos vocamus „*Θερυρί*.“

Hæc quinque, quæ modo diximus, certamina in unum quasi colligi et quinquertium (*πένταθλον*) appellari solita sunt; cujus ludi quum Homerus nullam faciat mentionem, eum tum temporis, quo sacra certamina efflorescere cæperint, inventum esse probabile est. Paus. V, 8, 3. Ceterum hoc etiam in aperto est, istud quinquertium, cujus in singulis certaminibus perficiendis jam magnas vires consumi oportebat, virorum modo validorum, maxime athletarum fuisse, non puerorum, qui debiliores sunt, quam ut tantos labores perferre possint. Quodsi recte statuimus, ea sunt plana, quæ Pausanias nulla causa relata memoriæ prodidit (V, 9, 1,) dicens, Olympiade octava et tricesima Olympiæ quinquertium puerorum institutum, sed postea nunquam repetitum fuisse.

Quod attinet ad ordinem, quo singula quinquertii certamina se exceperint, habemus Simonidis pentametrum: „*άλμα, ποδοκίρη, δίσκον, ἄκοντα, πάλην*“, qui huic rei lucem affundere videtur. Alia causa, qua hæc opinio probari possit, inest rei ipsi, quod certamina ita se sequuntur, ut primum pedes et crura, deinde brachia ceteraque superioris corporis membra exerceantur.

Septimus ludus, et is quidem non compositus sed simplex, dicendus est pugilatus (*πυγμαχία*), quem Homerus nominat *ἀλεγεινόν* et Græci posteræ ætatis omnium

<sup>\*)</sup> *δοσλήπτον ὑπὸ λειότητος*, Luc. Anach. c. 27.

maxime ærumnosum habebant. Fiebat autem ejusmodi certamen hoc fere modo, ut pugnatōres, pugiles dicti, pugnis cestu vinctis se invicem invaderent et plagas sibi inferrent. Per cestus proprie intelligenda sunt lora, ex coriis bubulis facta et manibus ita circumducta, ut plagarum vis et vehementia augetur et ipsius pugilis manus muniretur. Per multi exstant in libris veterum auctorum loci, quibus, qualis fuerit cestus, copiose exponitur, ita tamen, ut, quum sententiæ in medium prolata non satis sibi constant, sed maxime sint variæ, pro certo haberi posse videatur, cestuum formam et naturam aliam fuisse alio tempore. Homerus enim eos dicit (Il. XXIII, 684,) „*ἰαδντας ἐν τρηχέτους βοός ἀγροειδοτο,*“ qui a Pausania (VIII, 40, 3,) „*αελίζαι*“ dicti sunt et antiquissimis temporibus in usu fuisse videntur: quibus additus est postea *ἰαδς ὄξυς*, quo plagæ acerbiores sunt factæ. Maxime horribiles fuisse debent cestus, quos describit Virgilius (Aen. v. 404, 405,) his verbis: — tantorum ingentia septem

Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.“

Cum quibus si comparamus ornatum pugilum, quos sæpe conspiciamus effictos in antiquis marmoribus et vasis, colligere possumus, cestuum genus etiam fuisse, quibus globuli plumbei et ferrei insuti erant quique articulis manus in volam flexæ circumdati et brachiis alligati erant, ita ut manicae illæ ferreæ, quibus veteres Germani in præliis utebantur, aliquam cestuum referrent similitudinem. Sed hujusmodi cestuum usum posteriore demum tempore neque tam in gymnasiis, quam in certaminibus athletarum obtinuisse verisimillimum est. Luculentam imaginem hujusmodi certaminis habes apud Virgilium (Aen. V. 426 sqq.):

„Tum satus Anchisa cestus pater extulit æquos  
Et paribus palmas amborum innexuit armis.  
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque  
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.  
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu,  
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.  
Ille pedum melior motu, fretusque juventa,  
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi  
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.  
Multa viri nequidquam inter se vulnera jactant,  
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos  
Dant sonitus, erratque auris et tempora circum  
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.“

cf. Stat. Theb. VI, 747. Val. Flacc. IV, 267.

Hoc modo dictum certandi genus ubi conjunctum est cum luctatione, habes illud certamen, quod vocabant Græci *παγκράτιον*: hujus nomen haud dubie inde ductum est, quod in hoc certandi genere omnes, quotquot pugnatōribus inditæ erant vires, consumi et superari debebant (Plut. symp. II, 4.): quare, qui hoc certamine congredi solebant, *πάμμαχοι* sunt vocati. (Plat. Euth. c. I, p. 271. c. d. Poll. 111, 150.)

Agendum enim erat omnibus fere artibus, brachiis et cruribus, ulnis et genibus, manibus et pedibus, cervice et humeris, sive lacessebatur adversarius, sive defendebatur, neque in alio quodam certamine tam late patebant usus et artes.

Hæc tamen intercedebat dissimilitudo inter luctationem et pancratium, quod in altero nullus cestuum usus fuisse dicitur: id etiam jam inde satis liquet, quod manus cestibus circumdata: non, ut fieri debebat, ad capessendos et tenendos adversarios idoneæ fuissent.

Hujus certaminis inventio, quum Homerus neque in Odyssea, neque in Iliade ejus mentionem fecerit, in postera demum tempora est referenda.

Sed hæc hactenus: cogor enim jam angustis finibus, qui hujusmodi commentationibus præscripti sunt, vela contrahere et hunc cursum conficere.

Polke.



The first thing I noticed when I stepped out of the car was the smell of fresh air. It was a relief after being stuck in traffic for so long. I looked at my watch and saw that it was already 10:30. I had to hurry. I walked quickly towards the building, my heart racing. I saw a sign that said "EXIT" and I followed it. I was in luck. I found the door I needed. I opened it and stepped inside. The room was empty. I took a deep breath and looked around. I saw a desk with a computer and a chair. I walked towards the desk and saw a folder. I opened it and saw some papers. I looked at them and saw that they were the documents I needed. I took them and walked towards the door. I opened it and stepped outside. I looked at my watch and saw that it was now 11:00. I had to go. I walked quickly towards the car and got in. I started the engine and drove away. I felt a sense of accomplishment. I had done it. I had found the documents I needed. I was ready to go home.

**Notes**

I went to the office and found the folder I needed. I took the documents and went home. I read them and saw that they were the documents I needed. I was happy. I had found them. I was ready to go home. I felt a sense of accomplishment. I had done it. I had found the documents I needed. I was ready to go home.

